

conjunctione schismata, scandala, profanationes ortæ sint, adeo ut ad
 primam Institutionem & Institutionis sanctimoniam Apostolus ne-
 cessum duxerit, omnia revocare. B. D. Danhau. Hodosoph. Christian.
 phoen. X. p. 1126. D. Scherz, Anti-Bell. disp. XI. p. 522. Qvenstedius An-
 tiqv. Bibl. de Euch. ritibus num. X. §. 2. & alii: Salva tantorum Theo-
 logorum Autoritate, cum ne γῆρὸν quidem comperiamus nec in scri-
 ptura, nec antiquitate, ab Apostolis Agaparum usum cum S. Eucharis-
 tiæ usu connexum, aut permissum fuisse, nedum approbatum, nec
 sententia illa congrue cum Textu nostro conciliari queat, (vid. Quæst.
 II. part. nostræ problem.) Satius proin statuimus, ac tutius, cum æque
 magnis Theologis, problema negari. Multo minus per δὲ τῶν κρυπ-
 τῶν intelligimus cum Cl. Lichtfooto in Horis Hebr. & Chald. p. 224.
 convivium paschale, quod conversi Judæi tanquam umbram & me-
 moriam pristinæ paschatizationis, qualis etiam cum prima Eu-
 charistia nexa fuerit, Corinthi repetierint, neque ad Eucharistiam
 prius accedere voluerint, quam convivatio paschativa præces-
 sisset, de qua ait intelligendum esse, quod laute & affluenter ede-
 rint ac biberint; Gentilitia vero pars è contra istam judaizationem
 horrens & procænia talia refugiens πεινᾷ adhuc & jejuna ad Sacra-
 mentum accesserit, h. e. non cœnata. Quam sententiam, cum
 ipsi Reformati subterfugiant, qui amplecteremur? Cl. enim Bur-
 mannus in Synopsi Theol. l. 7. c. 13. §. 50. fatetur, Christum S. Cœ-
 nam Paschatis cæremoniis non adstrinxisse: idem alii. Quin
 stante hac hypothesi egeni non fuissent exclusi, sed semet ipsi ex-
 clusissent, neque sic ipsis fuisset injuria facta, nec contempus, cum
 volentis non sit injuria. Accedit cum ipse Lightfoot statuatur præ-
 varicationem Corinthiorum in hac paschatizatione constitisse, ex
 eaque indignum usum ac judicium fluxisse, ipse tamen Paulus eos
 moneat v. 33. ut imposterum alter alterum expectet, quod sic
 Epulum paschativum ab Apostolo non potuerit esse improbatum,
 sed commendatum, modo paschatizantes expectent conversos ex
 Gentilismo, & consequenter suis errorum illecebris eos quoque
 irretiant. Quale quid Viro Θεοπνεύτω affricare, verè religio.
 Ejusdem Lightfoot Conjectura quoque est, hunc locum intelligen-
 dum esse de Agapis, quibus tantummodo peregrinantes olim ex-
 cepti sint d. l. Quo cum etiam facit Burmannus disp. VIII. de Syn-
 tag.